



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

DE || LIBERTATE || CHRISTIANA ||

Lensaeus, Johannes

Antverpiae, 1590

Prooemivm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46059](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46059)

D E
C H R I S T I A N A
L I B E R T A T E
L I B E R D E C I M V S
Q V I N T V S:
P R O O E M I V M.



REGVMENTI huius, cui de Libertate Christiana titulum fecimus, quanta sit amplitudo, & quàm iucunda varietas, ex ijs quæ hæcenus per aliquot digessimus libros, in promptu est cognoscere. An autem ipsam amplitudinem rerum tractatarum hoc librorum capitum quæ numero convenienter expleuerimus, aliorum esto iudicium. Equidem video nonnullos esse dicturos, ex ijs quæ à Domino Ioanne Driedone tribus de Christiana libertate comprehensa sunt libris, fuscè quæ tractata, quædam à nobis, aliquanta breuitate perstricta, multa prætermissa omnino. Quibus consilij huius nostri rationem scire volentibus, respondebimus, nonnulla quæ ab illo viro explicantur eruditè, visa esse eiusmodi, quæ duriusculè sub huius titulum argumenti reuocentur, alibi quæ tractentur commodiùs: alia rursus non pauca, quæ magis spectabant ad Ecclesiasticæ libertatis tui explicationem, tum defensionem. Quam quidem Ecclesiasticam libertatem à Christiana differre libertate ex eo perspicitur, quòd hæc clero laicisque communis est; illa verò propria clericorum seu Ecclesiasticarum personarum. Est enim Ecclesiastica libertas aliud nihil quàm immunitas, per quam Ecclesiæ, tum personarum, tum res ipsæ iure diuino vel humano, aut privilegio,

go, à secularium Principum vel iudicum potestati-
 bu, iurisdictionibus, tribunalibus, vectigalibus ac tri-
 butis impositis aut imponendis exemptæ sunt ac libe-
 ræ. Christiana verò libertas ab huiusmodi legibus ne-
 minem eximit seu liberum reddit. Itaque ex illis rebus
 quæ minùs instituto nostro seruire videbantur, quas-
 dam modò perstrinximus, alias ne attingimus quidem.
 Quas res interim explicatiùs cognoscere si quis desi-
 deret, integrum illi erit ex ipso auctore repetere; &
 quod nobis deesse putauerit, inde supplere. Nos ad id
 quod reliquum est, quodque adhuc deesse ipsi cen-
 semus, properabimus.

CAPVT I.

*Libertatem à seruitute corruptionis, propriam esse
 vitæ futuræ.*

SVPEREST autem tractanda libertas à seruitute
 corruptionis & mortis: seu, vt breuiùs loquitur
 Bernardus, Libertas à miseria. quam hîc nondum ha-
 bere nos cùm abudè rebus ipsis comprobetur, super-
 uacaneum est, id verbis velle demòstrare. In hoc sanè
 ingemiscimus, habitationem nostrã quæ de cælo est,
 superindui cupientes (ait sanctus Apostolus) si tamen
 vestiti & non nudi inueniamur. Nam & qui sumus in
 hoc tabernaculo, ingemiscimus grauati: eo quòd no-
 limus expoliari, sed superuestiri: vt absorbeat quod
 mortale est à vita, in sitq. resuscitatis corporibus nulli
 vanitati subiecta libertas. Atque ob id quidem spiri-
 tus pignus accepimus, vt hanc quoque per Christum
 libertatem securam esse in illa nostri perfecta rege-
 natione minimè dubitemus. Si enim Spiritus eius
 qui suscitauit Iesum à mortuis, habitat in nobis: qui
 suscitauit Iesum Christum, viuificabit & mortalia
 corpora nostra, propter inhabitantem Spiritum eius in
 nobis: